

I.

*Bolla del pontefice Pio IV che approva il " Sacro Militare Ordine dei Cavalieri di Santo Stefano ", istituito dal Duca Cosimo I dei Medici.*

(In data 1 ottobre 1561).

" Dilecto Filio Nobili Viro. Cosmo Medices Florentiae, et Senarum Duci. Pius Papa Quartus ".

Dilecte fili salutem, et Apostolicam Benedictionem. Eximiae devotionis sinceritas, et integra fides, quibus in nostro, et Apostolicae Sedis conspectu clarere dignosceris, merito Nos inducunt, ut te, quem speciali dilectione prosequimur, tuosque posteros, condignis attollamus honoribus, et gratiosis favoribus prosequamur. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu ad Dei laudem, et gloriam, ac fidei Catholicae defensionem, Marisque Mediterranei ab infidelibus custodiam, et tuitionem, necnon posterorum tuorum decus, et honorem, cupias unam Militiam, sub certo approbato ordine per te eligendo, cum convenienti dote, per te, ex tuis propriis bonis assignando, pro uno Magistro, ac certo numero Militum, ad instar aliarum Militiarum in Regnis Hispaniarum, vel alias rite institutarum, in Domino tuo erigere et instituere, si ad id nostra, et sedis praefatae, tibi desuper licentia suffragetur. Nos huic tam pio, et laudabili proposito favorabiliter annuentes, teque, ut devotio tua, et posterorum praedictorum erga Nos, et Sedem praefatam, eo magis invalescat; quo te, et illos ejusdem Sedis majori munificentia noveritis amplexos, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, nobilitati tuae, ut ad Dei honorem, et gloriam, et alios effectus praemissos, in tuo Dominio, ac loco, et aede sacra, tibi bene visis, unam Militiam sub Reg. S. Augustini, aut S. Benedicti, vel Cisterciens. aut alterius approbati Ordinis per te eligendi, ac sub invocatione, et cum insignis tibi bene visis, decentibus postea Privilegiis, Facultatibus et Indultis a Nobis, et Sede praefata decorandam, cum dote convenienti arbitrio tuo, per te, ut praefertur, as-